



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Edgari Regis Anglorvm Charta De Osvvaldes-Lavv, hoc est, De eiiciendis
clericis vxoratis & introducendis monachis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EDGARI REGIS ANGLORVM
CHARTA DE OSVVALDES-LAVV,
hoc est,

De eiciendis clericis uxoratis & introducendis monachis.

ALTIANTIS Dei largiflua clementia, qui est Rex regum & Dominus dominantium, ego Edgarus Anglorum basileus, omniumque regum insularum Oceani quæ Britanniam circumiacent, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator & dominus, gratias ago ipsi Deo omnipotenti regi meo, qui meum imperium sic ampliavit & exaltavit super regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliae adepti sint, a tempore Æthelstani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit, nullus tamen eorum ultra eius fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia diuinitas, cum Anglorum imperio omnia regna insularum Oceani cum suis ferocissimis regibus usque Noruegiam, maximam partem Hiberniæ, cum sua nobilissima ciuitate Dublinia, Anglorum regno subiugare: quos etiam omnes meis imperiis colla subdere, Dei fauente gratia, coegi.

Quapropter & ego Christi gloriam & laudem in regno meo exaltare, & eius seruitium amplificare, deuotus disposui: & per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet archiepiscopum, & Athelvoldum ac Osvaldum episcopos (quos mihi patres spirituales & consiliatores elegi) magna ex parte, secundum quod disposui, perfeci, &c.

Siquidem temporibus antecessorum meorum regum Anglorum monasteria, tam monachorum quam virginum, destructa, penitus reiecta in tota Anglia erant, quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ meæ reparare, & seruorum & ancillarum Dei numerum multipicare deuoui. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus stre-
nue annitentibus, iam quadraginta & septem monaste-
ria cum monachis & sanctimonialibus constitui; & si Christus vitam mihi tamdiu concederit, usque ad quin-

*Æthelsta-
nus primus
monarcha
Angliae.*

*Edgarus ul-
tra domina-
tur.*

*Monasteria
pene deleta
per totam
Angliam re-
ficit.*

*Constituit
47. mona-
steria, &
quinque-
gesimum
spondet.*

128 EDGARI REGIS ANGLORVM CHARTA.

quagesimum* remissionis numerum meæ deuotæ Dei mu- * id est,
nificantia oblationem protendere decreui. iubilati

Osvvaldus
episcopus
clericos v-
xoratos ei-
cit Vvigor-
nia.

Rex hoc
confirmat
immutabi-
liter.

Datio.

Vnde nunc in præsenti monasterium quod prædictus reuerendus episcopus Osvvaldus in sede episcopali Vvio- greceastere in honore sanctæ Dei genetricis Mariae amplificauit, & eliminatis clericorum naniis & spurciis lasciuuis, religiosis Dei seruis monachis meo consensu & fauore * confultus locauit, ego ipsis monasticæ religionis viris * ad. suff. regali auctoritate confirmo, & consilio & astipulatione principum & optimatum meorum corroboro & configno. Ita vt iam amplius non sit fas neque ius clericis reclamandi quidquam inde; quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo & ecclesiastici beneficii dispedio, suis vxoribus adhærere, quam Deo caste & canonice seruire. Et ideo cuncta quæ illi de ecclesia possederunt, cum ipsa ecclesia, siue ecclesiastica, siue sacerdotalia, tam mobilia quam immobilia, ipsis Dei seruis monachis ab hac die perpetualiter regia munificantia iure deinceps possidenda trado & configno, ita firmiter, vt nulli principum, nec etiam vlli episcopo succedenti, fas sit aut licitum quidquam inde subtrahere aut peruidere, aut ab eorum potestate surripere, & in clericorum ius iterum traducere, quamdiu fides Christiana in Anglia perdurauerit, &c.

Facta sunt hæc anno dominicæ incarnationis DCCCCLXIV. indictione VIII. regni vero Edgari Anglorum regis sexto, in regia vrbe quæ ab incolis nominatur; in natali domini, festiuitate sanctorum innocentium, fe- ria quarta.

S V B S C R I P T I O N E S.

Ego *Eadgar* basileus Anglorum, & imperator regum gentium, cum consenſi & principum & archiepiscoporum meorum, hanc munificantiam signo crucis corroboro.

Ego *Ælfrith* regina consenſi, & signo crucis confirmaui.

Ego *Dunstan* archiepiscopus Dorobernenis ecclesiarum Christi consenſi & subscripsi.

Ego *Oscitel* archiepiscopus Eboracensis ecclesiarum consenſi & subscripsi.

Ego *Alferic* dux.

Ego *Bruthmod* dux.

Ego *Aridgari* dux.

VITA